

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Sanctissimo Christi Iesu Dei Et Hominis Amore**

**Le Gaudier, Antoine**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Tertius fructus. Obseruatio consiliorum Dei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](#)

Sparge & foue, ó bone Ie-  
su, in terra cordis mei semen  
hoc amoris tui, & sterilitati  
eius medere, vt nunquam  
peccem, nunquam non inte-  
gros obseruationis legis tuae  
fructus ad maiorem gloriam  
tuam proferam, & quæ tibi,  
quæ Patri tuo placita sunt  
semper faciam.

*Tertius fructus, obseruatio consiliorum  
Des.*

Non dedit tantum nobis  
Christus legem, sed etiam cū  
esset magni consilij Angelus,  
proposuit diuina planè ad  
perfectiorem legis obserua-  
tionem cōsilia. Hæc vt sequa-  
mur impellit fortiter Christi  
Domini, qui ea tradidit, di-

*gnitas,*

gnitas, maiestas, authoritas,  
æstimatio, & dilectio. Vrsit  
hæc charitas tot martyres, vt  
sanguinem funderent perl  
benter, & innumerabiles à  
mundi, rerumque terrenarū  
amoribus abstractos, eadem  
ad crucis vexillum nudos ad  
uolare compulit & compellit  
quotidie. Qua vi? quia maio  
res diuitias æstimarunt the  
sauris omnibus, atque adeo  
propria vita improperiū cru  
cis Christi. O Amor Christi  
prudentissime rerum æstima  
tor, dissipa fraudes mentis  
mæ, eamque instrue quantus  
sit Christus, & quod sit ve  
rum pretium minimæ gloriæ  
eius, vt præ illa vilescant mihi

2.Cor.6

diuitiæ, honores, fauores, cōmoda, fama, & ipsa tandem anima mea, adeo ut nihil omnino sit quod refugiam, ut bonum aliquod gloriæ ei pariam, eiusque me ministrum exhibeam si opus sit in multâ patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma iustitiae, à dextris & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, ut

sedu-

seductorem, & veracem , si-  
cut qui ignotus & cognitus,  
quasi moriens, viuens autem,  
non tamen ego, sed viuat in  
me Christus.

*Quirinus fractus. Illuminatio mentis  
practica.*

Sicut Christus Dominus  
lux est mundi, ita vniō cum il-  
lo per amorem vitæ lumē est,  
quod mentium nostrarū te-  
nebras disspellit; eas præsertim  
quibus in quotidianavitę no-  
strę praxi inuoluimur, quæ  
pendet plurimum à recto af-  
fectu quem C H R I S T I amor  
componit: Nam sedata o-  
mni inordinatione suo nos  
pondere inclinat in id ,  
quod perfectum , Deoque

grati-